



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrivm S. Andreae Apostoli: Ex paßione eius, à Prespyteris & Diaconis  
Ecclesiarum Achaiaë scripta, desumptum: quibusdam super additis ex  
Tomo 1. Annal. C. Baronij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

factum, & auro congruenter ornatum mirabili dexteritate clam arripuit: è quo dum biberet, episcopo suspirante & ingemiscente, aqua repente in vinum mutatum fuisse constat: Domino id pro sua misericordia operante, ne famuli ipsius virtus in publicum prolata periclitaretur.

*Aqua in vinum mutatur.*

Fuit autem & spiritu prophetiæ clarus: nam cum alia multa, tum obitus sui diem multo antè prædixit: & successorem suum Baldricum tum temporis adhuc adolescentem prophetico spiritu designavit. Excessit autè è vita cum admiranda pietatis significatione, corpusque à Clero & populo Dauëtriam translatum fuit: vbi à Christi fidelibus pia & grata festiuitate memoria eius recolitur.

*Claret Prophetiæ spiritus.*

*Moritur & Sepelitur Dauentriæ.*

MARTYRIUM S. ANDREAE APOSTOLI: Ex passione eius, à Presbyteris & Diaconis Ecclesiarum Achaia scripta, desumptum: quibusdam super additis ex Tomo 1. Annal. C. Baronij.

*Vide Tom. 1. Annal. C. Baron. & Notat. in Marty. Rom.*

ANDREAS Simonis Petri frater, ætate eo senior, Iona, siue Ioanne patre, in vico Bethsaida prouinciæ Galilææ oriundus fuit.

*30. Nouë. Patria & parætes eius.*

Porro cū cælibem quidè duceret vitam, Præcursoris Domini factus est discipulus. Procedente verò tēpore primū in Christi disciplinam se tradidit; deinde à Beato Petro baptizatus ac Christi benignitate ad Apostolici muneris dignitatem euectus, nequaquàm se ea functione indignū exhibuit. Quod luce meridiana clari⁹ Euangelij testimonio comprobatur. Cæterum

*Ioan. 1.*

Rr 2 quia

quia sacris literis expressum non est, quo in loco Christi Euangelium diuulgauerit, & quo mortis supplicijque genere in caelum ad Christum migrauerit: non erit abs re excellentissima fidelium testium relatione fusus & explicare.

Igitur Andreas post Christi in caelos ascensionem ac inter Apostolos prouinciarum diuisionem & partitionem non tantum adijt ac Christum annunciauit Scythis, verum etiam Sogdianis, Sacis ac Aethiopibus. Inde vero in Graeciam descendens per Epyrum in Achaiam deuenit, ac in vrbe eius prouinciae clarissima, quae Patrae dicitur, diuini verbi semina sparsit tanto feruore ac animi pietate, vt breui multos ad Christi fidem traduxerit. Aegaeus Proconsul hac re comperta confestim Patras venit, pietati bellum indicturus: & minis pariter ac blanditijs Christi cultores ad idolorum sacrificia compellurus. Cui Andreas diuina virtute occurrens, ita dixisse fertur: Oportebat te quidem, qui hominum Iudex esse compararis, summum illum & incorruptum vinctum ac mortuorum Iudicem agnoscere, & agnitum colere, colendoque animum ab impio & nefario deorum cultu reuocare. Cui Aegaeus: Tuus es ille Andreas qui deorum templa subuertis, & nouam religionis superstitionem hominibus persuades, cuius auctor IESVS vester a Iudaeis crucis patibulo affixus fuit? Respondit Andreas: O si velles diuinissimum Crucis mysterium agnoscere, quanta charitate humani generis auctor morbos & aegritudines sceleribus nostris debitas exceperit, & dolores quos nobis

*S. Andreas  
constanter se  
opponit AEGAEI  
procon-  
sulipopuli  
Christi cul-  
tus auocanti.*

nobis subeundi erant sustinuerit, sponteque omnino Crucem conscenderit, ut cruciatu suo, nos ab exilio & cruciatu sempiterno liberaret, profecto vna nobiscum Crucem istam, quam tu conuicijs proscindis, summa veneratione & amore complectereris. Non enim coactus, vel Iudæorum fraudibus, aut vi circumuentus, in Crucem sublatus fuit, sed voluntate sua ardentissimo pietatis & charitatis studio impulsus, poenas consceleratis hominibus irrogandas corpore suo excepit: ut humanum genus expiaret, & iniquitatis nostræ maculas elueret.

AEgeas quanquam Apostoli auctoritate superatus, impietatis tamen tenebris oppressus: Miror, inquit, te tanta prudentia & virtute vitium istum sectari velle, quem quoquo pacto aut sponte, aut inuitum, Cruci tamen confiteris affixum. Cui Andreas: Et hoc est, inquit, quod etiam me dixisse iam retines: Magnam nimirum esse Crucis mysterium. Quod si forte attentas mihi differenti aures præbere velis, eadem hæc comprobabis. Et AEgeas: Ego quidem patienter te audiam: sed tu si me obtemperanter non audieris, ipsum Crucis mysterium in teipso excipies. Ad ea intrepide respondens Andreas: Ego inquit, si Crucis patibulum expauescerem, Crucis gloriam prædicarem. AEgeas dixit: Inanus sermo tuus supplicij gloriam prædicat, qui per audaciam mortis poenam non times. Respondit Apostolus: Non per audaciam, sed per fidem poenam non timeo mortis. Mors enim iustorum preciosa est: mors verò peccatorum

Rr 3      pel-

*Pſalm. 115.**Pſalm. 33.**Genef. 3.**Docet AE-  
geam myſte-  
rium S. Cru-  
cis.*

peſſima. Et idedò audire te volo Crucis myſte-  
rium, vt agnitum credas, credensque ad veram  
& ſempiternam ſalutem pertingas. Primus  
enim homo per lignum præuaricationis mor-  
tem induxit: vndè neceſſarium fuit humano  
generi vt per lignum paſſionis mors, quæ in-  
greſſa fuerat, pelleretur. Et quomodò de pu-  
ra & incontaminata terra primus homo in lu-  
cem prodierat, qui rebellionem ſua mundo  
mortem intulerat: ita neceſſarium fuit vt de  
immaculata Virgine CHRIS TVS Dei fi-  
lius natus homo, perfecta ſua obedientia vi-  
tam æternam, quam perdiderant omnes, re-  
pararet.

AEgeas ad eam Apoſtoli doctrinam plane  
ſtupidus: Iſta, inquit, verba, ijs inculcato, qui  
tibi fidem adhibent, mihi autem, niſi deorum  
ſacrificia ſuadenti obtemperes, in iſtam, quam  
tantis laudibus extollis, Crucem te fuſtigatam  
affigi præcipiam. Reſpondit Apoſtolus: Deo-  
rum tuorum ſacrificia mihi perſuadebis nun-  
quam, qui Omnipotenti Deo omni die ſacrifico,  
non thuris fumum, nec taurorum mugientium  
carnes, nec hircorum ſanguinem: ſed im-  
maculatum Agnum: cuius carnes poſteaquam  
credentium populus manducauerit, & ſan-  
guinem in ara Crucis ſemel effuſum biberit,  
Agnus, qui immolatus eſt, integer perſeuerat  
& viuus. Et quomodo, inquit, AEgeas hæc  
fieri poſſunt? Reſpondit Apoſtolus: Si Chri-  
ſtiana religioſis myſteriũ integra fide, toto cor-  
de, amplexatus fueris, diſcere poteris: ſi autem  
non credideris, nunquam ad huius rei noti-  
tiam & indagacionem peruenies.

*Præclarum  
teſtimonium  
ſacrificij  
Miſſæ, &  
veri corpo-  
ris Chriſti  
in Euchari-  
ſtia.*

Tunc

Tunc furore mentis concitatus A<sup>S. Andrea</sup>geas, A-  
postolum in carcerem retrudi iussit. Vbi cum <sup>mittitur in</sup>  
vincus teneretur, populus totius penè pro- <sup>carcerem.</sup>  
uinciæ indignum facinus esse clamitans tantæ  
virtutis virum ergastulo concludi, A<sup>S. Andrea</sup>geam ad  
mortem postulare cœpit.

Porro Apostolus furentis populi animos <sup>Populus vulg</sup>  
ratione grauitatis plena compescens, cunctos <sup>eum libera-</sup>  
admonuit vt Christi Domini exēplo paci stu- <sup>re, sed id nō</sup>  
derent, & illatas iniurias patienter perferrēt. <sup>permittit</sup>  
Humanus enim (dicebat) terror & iniuriæ & <sup>Apostolus.</sup>  
supplicia, fumo sunt simillima, quæ excitata  
subitò euanesçūt. Quare nolite repositam mi-  
hi martyrij coronam impedire, aut humanos  
terrores & cruciatus expauescere: sed estote  
magis parati, vt per tribulationes tempora-  
rias ad æterna gaudia pertingatis.

Hæc & his similia per totam noctem Apo- <sup>Sistitur de-</sup>  
stolo ad populum disserēte, A<sup>S. Andrea</sup>geas prima lu- <sup>nudò tribuna-</sup>  
ce per satellites ad suum tribunal eum addu- <sup>li A<sup>S. Andrea</sup>gea.</sup>  
ci iussit: quem superba mente ita affatus est: Ex-  
istimaui te nocturna cogitatione à mentis tuæ  
stultitia respuisse, vt possis deinceps nobiscū  
huius vitæ gaudijs perfrui securè. Stultū enim  
est temeraria mente ad supplicium properare,  
& semetipsum in exitium ante oculos positum  
præcipitem dare. Ad ea Apostolus: Gau-  
dijs tecum fruar sempiternis, si execrabili  
deorum cultu relicto, mecum Christo cre-  
das & animæ tuæ curâ geras. Ego enim missus <sup>Vberimus</sup>  
in hanc prouinciam à Christo Saluatore no- <sup>S. Andrea</sup>  
stro, ingentem populi multitudinem ab er- <sup>fructum in</sup>  
rore ad fidem & à morte ad vitam perduxi. Et <sup>Achaia.</sup>  
hoc est, inquit, A<sup>S. Andrea</sup>geas quòd me discruciar:

Rr 4 quòd

quòd deorum nostrorum cultum subuerteris, & templa demolitus sis: atque idèd, nisi confestim dignis sacrificijs irata deorum numina placaueris, ego te varijs eximijs excruciatum supplicijs Cruci affigam. Tum verò Andraa hominem in scelere suo penitus obduratum cernens ait: Audi fili mortis, & stipula æternis parata incendijs; audi me seruum Domini & Apostolum I E S V Christi. Haftenus censura fidei mitiùs tecum egi, vt rationis capax, & veritatis defensor effectus idola vana contemneres, & Deum, qui in cælis est adorares. Sed quia in impudètia tua perseverans, me existimas minas tuas formidare posse, age, quidquid tibi in supplicijs maius videtur, excogita. Tanto enim Regi meo ero acceptior, quanto pro eius nomine in tormentis certauero constantior.

*Magna libertas & constantia eius.*

*Ceditur flagellis Apostolus.*

Tunc AEgeas mentis suæ furias expediens, extensum iussit Apostolum flagellis cadi. Qui cum septem inuicta virtute terniones transisset, eleuatus est, totoque corpore lacer AEgeæ exhibitus. Qui denuò ad blanditias conuersus. Audi me, inquit, Andraea, & ab effusione sanguinis tui consilium reuoca. Quod si non feceris, Crucis tibi supplicium erit subeundum. Cui Andraea: Ego Crucis Christi seruus, Crucis trophæum optare potius, quàm timere debeo. Neque enim de mea passione, sed de tuo interitu sanè conturbor. Passio enim mea vnus est dies, aut vt multum, duorum. Tuus autem cruciatus nulla vnquam temporis longinquitate finem accipiet. Vnde desine tibi tuas augmentare miseras, & vel ex mea tandem perseverantia fidem

fidem amplectere. Eam Apostoli libertatem grauiter indignatus Aegeas, Crucis supplicio eum damnauit. Cumque raperetur ad mortē, populus magno concursu clamare coepit: Iustus homo & amicus Dei quid fecit, vt ducatur ad Crucem? Andreas verò populi clamores lenitate compescens, & incredibili gaudio exultans, ad locum certaminis properabat; cernensque paratam sibi à longē Crucem exclamauit: Salue Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modò verò amorem caelestem obtinēs, pro voto susciperis. Sciris enim à credentibus, quanta intrā te gaudia habeas, quanta munera præparata. Securus ergò & gaudens venio ad te, ita vt tu exultans suscipias me, discipulum eius qui pependit in te: quia amator tuus semper fui, & desiderauī amplecti te: O bona Crux quæ decorem, & pulchritudinem de mēbris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sinè intermissione quæsitā, & aliquando iam concupiscenti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te redemit me. Et hæc dicēs expoliauit se, & vestimēta sua tradidit carnificibus. Qui manus eius & pedes funibus Cruci alligauerunt, ne clavis affixus citò deficeret, sed longo cruciatu Aegeæ crudelitatem satiaret. Aderant turbæ ad viginti hominum millia; inter quos Stratocles Aegeæ frater; qui simul cum populo Aegeæ tyrannidem execrans, Apostolum de pietate in Deum

R. r. 5

disse-

*Damnat  
Crucis sup-  
plicio.*

*Ecced tibi A.  
postolum ad  
Crucem tan-  
quam ad e-  
pulas prope-  
rantem.*

*Alligatur  
Cruci.*



*Rom. 8.*

differentem audiebat. Apostolus enim mentes credentium Christo, assidua adhortatione toto illo biduo in cruce pendens confirmabat, atque ad laborum tolerantiam, excitabat: confirmans huius viræ passiones ad æternæ remunerationis gloriam non esse condignas.

*Aegeas timentis populum vult eñ solvere.*

Cæterum cum populus Aegeam grauissimè incusaret, quòd virum sanctissimum indigno supplicio affecisset, ille tumultum ac populæ seditionem veritus, ad deponendum eum de Cruce properabat. Cui Apostolus: Quid tu ad nos Aegea venisti? Si vis credere Christo, sicut promisi, aperietur tibi via salutis: Si autem ad hoc venisti, vt me soluas, ego hunc viuens in corpore deponi non potero. Iam enim Regem meum video, iam adoro, iam conspectui eius assisto. Sed de infœlici sorte tua doleo, quia parat<sup>o</sup> te expectat æternus interitus. Curare pro te miser, cum adhuc potes, ne tunc incipias velle, cum minimè poteris. Atrollentes autem manus ad Crucem carnifices, ipsum penitus contingere non poterant: torpebāt enim brachia, virtute utique diuina, ne diu desiderata martyrij corona Apostolus fraudaretur. Erat enim mirè sollicitus Andreas, ne fortè solueretur; ideoque voce magna clamabat: Ne me permittas Domine Iesu Christe, famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in Cruce, solui; & ab Aegea homine corruptibili humiliari: sed suscipe me tu magister mi Christus quem dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem videre desidero. Suscipe Domine Iesu spiritum meum in pace: quia iam tempus est, vt ad te veniam, desiderans te videre. Suscipe me Domine

*In animum Christi amore ardentissimi.*

Domine permittas spiritum meum in pace: quia iam tempus est, vt ad te veniam, desiderans te videre. Suscipe me Domine

Domine Iesu Christe, magister bone; neque permittas me ex hac cruce deponi, nisi prius spiritum meum susceperis. Hæc cum dixisset, ingens repente de cælo adfuit splendor; qui eum circundans, adstantium aciem ita obtundebat, vt penitus in eum oculos defigere non possent. Perseueravit autem lux illa dimidiæ ferè horæ spatio; qua deindè abscedente, Apostolus emisit spiritum; qui simul cum ipso lumine ad Dominum perrexit.

Sacratissimum illius corpus insigni pudicitia & sanctitate fœmina, Maximilla nomine senatrix, suorum adiuta solatio, cum omni reuerentia de cruce deposuit; conditumque aromatibus honorificè sepeliuit. AEGEAS verò ea re ad indignationem commotus, statuit Maximillam & populum Cæsari deferre: & quaestione habita, de illis quoque supplicium sumere. Qua in re dum furore & amentia plenus occupatus esset, subito à diabolo arreptus, in medio foro ciuitatis expirauit. Frater autem eius Stratoles Christi fidelis AEGEAS facinus detestans, opes illius omnes bonaque ne attingere quidem voluit, ne illius crimine pollueretur, qui Apostolum Domini pecuniæ cupiditate & auaritia occæcatus occidere ausus fuisset. Morte verò AEGEAS tanto timore omnium animi concussi sunt, vt nemo non esset, qui idolorum cultum detestaretur, & supplex ad Christi nomen accederet: cuius diuina potentia, gloriosa ibidem præstantur petentibus beneficia. Ceterum de translatione beatissimi huius Apostoli demum facta Amalphim, in Archiuis illi<sup>9</sup> Ecclesiæ,

*Lux cæli  
eum circun-  
dat & emit-  
tit spiritum.*

*Maximilla  
eius corpus  
sepelit.*

*AEGEAS Pro-  
consul à de-  
mone arre-  
ptus expi-  
rat.*

*Multi ad  
Christum con-  
uertuntur.*

*Ultima trās-*  
*latio eius.*

*Brachium*  
*& Caput e-*  
*ius Romæ af-*  
*seruantur.*

fiæ rei gestæ monumenta continetur. De per-  
ni autem miraculo scaturientis indè liquoris  
medici ad curandos morbos, totus penè Chri-  
stianus orbis est testis: in omnes enim regio-  
nes ex eo fonte fluxere riui. Vnum verò e-  
brachium à Gregorio Papa cum adhuc diacono  
esset Constantinopoli delatum asserua-  
tur Romæ in Ecclesia S. Andree ad cliu-  
m Scauri: Caput autem eiusdem ad Aedes sacras  
eius germani Romam in vaticanum à Pio Se-  
cundo delatum decentissimè asseruatur.

## DECEMBER.

*Vide Tom.*  
*8. Annal. C.*  
*Baron.*

VITA S. ELIGII NOVIOMENSIS  
Episcopi Flandrorum Apostoli nuncupati: Et  
ea quæ est à beato Audoeno Rothomagensi Pra-  
sule eius equali conscripta. Migravit ex huma-  
nis anno Domini 665. Vitaliani Papa 11. sub  
Clotario Clodouei filio, Francorum Rege.

1. Decem.  
Patria &  
Parentes  
eius.

**S**ANCIVS Eligius, Lemouice Gal-  
liarum vrbe in villa Catalacensi ori-  
undus, parentes habuit ingeniosos  
cum primis & Christiana religione  
eximios: patrem Eucherium, matrem verò Ter-  
rigiam. Quæ cū filio grauida esset, vidit nocte  
quadam, secundum quietem insigni pulchri-  
tudine aquilam, supra stratum suum volitan-  
tem, & semel iterumque ac tertio se in clama-  
tem. Erat præsagium nascituri filij; quod præ-  
clara aliqua, in vita, polleret virtute, quæ cun-  
ctis admirationi futura esset. Igitur natus in-  
fans, cui pater Eligij nomen imposuit, antè  
omnia

*Visto matris*  
*eius.*